

De rebus privatis

Domicilium nostrum in Anglia pulcherrimum erat, sed cum vespere domum rediebamus area stativa nusquam inveniri poterat: margines viarum margaritis autoraedarum sunt ornatae. Post aliquot annos nobis autoraedarum receptaculum haud procul a domo nostra conducere contigit. Exitu receptaculi aliena autoraeda saepe obstructo magnum signum supra receptaculum imposuimus: PRIVATUM. Sed pro dolor illo signo difficultas nostra non est soluta: sive quod alii autoraedarii artis legendi non essent periti, sive quod de incommodo nostro omnino nihil curarent, saepe autoraedam alienam ante receptaculum nostrum invenimus.

Aliquando exitu iterum obstructo irascens ulcisci constitui: catena birotam meam cum ea autoraeda concatenavi, nuntio iuxta illud signum affixo ubi possessor et birotae et receptaculi inveniri potuit. Media nocte strepitu vocum experrecta sum: magna voce vir quidam se propter birotam concatenatam se avehi non posse clamavit, dum maiore voce vicinus ira captus se nihil de ea birota scire affirmavit. Denique tintinnabulum sonuit, et suspirans lentissime ad ianuam descendit dum ille vir pugnis portam tractat.

“Quid?”

“Biotam tuam ad autoraedam meam affixisti!”

“Ita. autoraedam tuam ante receptaculum meum reliquisti.”

“Nescivi hoc esse privatum!”

“Scilicet est privatum. Quomodo aliter me ex receptaculo evehi posse mente fingas?”

“At– amicam meam visitavi...”

“Itane?”

“... et nullam aliam aream stativam inveni.”

“At haec est cura mea?”

“At nescivi quis illam birotam ad autoraedam meam affixisset! Omnes vicinos ex somno excitavi usque denique te illud receptaculum possidere comperi.”

“Illud de vicinis mihi dolet. Nonne vidisti nuntium meum quod iuxta id signum “PRIVATUM” reliqueram?”

Ille se nuntium meum non animadvertisse fassus est. Tum, iterum ira captus:

“Sed concatenare birotam tuam cum autoraeda mea tibi non licuit!”

“Cur non? In fundo meo mihi birotam ubique affingere licet. Non est culpa mea quod autoraeda tua fuerit in fundo meo.”

“Mecum volutavi num custodes publicos appellarem!”

“Utinam hoc feceris! Eos cachinnum sublaturus fuisse certa sum.”

Somnolenta denique autoraedam eius a birota mea liberare assensa sum, ei suadens ut fortasse proxima occasione cum amicam suam visitaret tramine adveniret. Cum is vir magna velocitate et mihi magna voce maledicens avectus esset, contenta et tranquillo animo domum redii et subridens statim obdormivi. Nemo umquam iterum autoraedam ante receptaculum nostrum reliquit.